

alto positi non alta sapiunt, neq; existimat exaltationem suam , esse honorem ; sed onus, sub quo gemant , non in quo glorientur; ac semper quod ad se attinet, discubunt in nouissimo loco , si verè spiritum illius habent , qui mitis fuit , & humilis corde. Tertiò, non solum in humili sedēt , sed gemunt, ac plorant , non iacturam temporalium rerum, sed captiuitatē suam , dum recordātur dulcissimæ patriæ, quæ est in sancto monte Sion. qui enim obliuiscitur patriæ, exultant cum filiis Babylonis: qui autem desiderant , & ex desiderio recordantur patriam; etiam tunc cum abundant rebus temporalibus, non in eis lætaatur , sed gemunt ex desiderio patriæ. neq; vllū manifestius signum habere possumus , vnde cognoscamus, vtrum ciues Babyloniae, an Hierusalem simus , quam si attentè consideremus, quid nos delectet , quidve nobis cordi sit. Vbi enim thesaurus noster est, ibi & cor nostrum erit, Luc. 12.

## II. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.

Captiui Hebræi organa lætitiae, citharas videlicet, vt est in hebræo, suspendebant in salicibus in medio Babylonis, id est, palam & publicè Babylonis videntibus abiiciebant à se instrumēta lætitiae, vt ostenderet, sibi fletum magis cordi esse , quam cātum. Quod ipsum imitantur viri Dei , qui intelligentes captiuitatem, & exilium suum, dicunt cum eodem Propheta, Renuit consolari anima mea : memor fui Dei , & delectatus sum. quamvis enim non delectet ciues Hierusalem cātare, & lætari cum Babylonis, & de bonis Babyloniae; tamen cantant in cordibus suis Domino , & gaudent in spe futuræ beatitudinis. Illud, in salicibus in medio eius, id est, Babylonis , significat in salicibus , quæ sunt ad ripas fluminum, quæ per medium regionem Babyloniam fluunt. Suspendere autem citharas in salicibus flumen Babylonie, nihil est aliud, nisi relinquere instrumenta lætitiae hominibus huius seculi, qui tāquam arbores in fructuosa irrigantur assidue aquis Babylo-

niæ, & fructum nullum ferunt: ipsi pulsent citharas, ipsi cantent in hoc seculo , quibus manet in alio luctus sempiternus.

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerūt nos, verba cantionū.

Et qui abduxerunt nos: hymnum cātate nobis de canticis Sion.

Non solum ob mœstiam suspenderunt citharas suas in ramis arborum captiui ludēi, sed etiam ne obsequerentur Babiloniis audire, & irridere cupientibus sacros hymnos, quos in celebritatibus Domini cantare soliti erant. Vbi notat S. Ioann. Chrysostomus , ex tribulatione illa Iudeos factos esse meliores, id est, magis religiosos, & magis timentes Deum. antea siquidem ridebant Prophetas , imò & occidebant: nunc autem captiui in terra aliena , non audent hymnos sacros gentilium irrisioni exponere. Ajunt igitur, Quoniam illic interrogauerunt nos , qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. i. suspēdimus organa nostra, & noluimus illis vti, ne sacra cātica irrisioni gentilium exponeremus: quia ii , qui nos captiuos duxerunt , illic in sua regiōne interrogauerūt nos verba cantionum, id est, de verbis cantionum , & dixerunt, qui abduxerunt nos , hymnum cātate nobis de canticis Sion. Per verba cantionum, intelliguntur cantica , id est, verba ad cantum accommodata: quasi dicant, Interrogauerūt nos de canticis nostris, cur videlicet nō caneremus, vt in patria nostra faciebamus. Posset etiam illud, interrogauerunt, verti, ragauerunt, vt sensus sit, Rogauerunt nos verba cantionum . i. petierunt, vt caneremus. Illud autem, Et qui abduxerunt nos, quod in hebræo est, tholalenu, aliqui vertit, spoliauerūt nos, volētes, ȝ, positi esse more Chaldaico pro, ȝ, alii, afflixerunt nos, quasi ciularē fecerunt, à verbo, ialak: sed non video cur non possit verti, Extulerunt nos, quod est idem, cum, asportauerunt nos, vel abduxerunt nos, vt Septuaginta verterunt: nam, thalal, est eleuare, extollere, suspendere. Extollere autem, nō solum significat tollere in altum,

Fffff 3 sed

תולין

לְבָ

תַּלְלָ